



## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis  
Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz  
Toletani è Societate lesv**

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

§. 1. De Temperantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](#)

reddunt, nempè: Abstinentia, Sobrietas, Castitas, Virginitas, Pudicitia, Maceratio, Māsuetudo, Clemētia, Modestia, Humilitas, Paupertas, Taciturnitas, Studiositas. De quibus sigillatim tractandum.

### De Temperantia. §. I.

**T**Emperantia est virtus moralis, cuius praesidio cohibemus passiones appetitus concupiscibilis, quæ versantur circa delectabilia sensuum, præcipue gustus & tactus, ad quorum duorum sensuum functiones, aliorum sensuum actus ordinatur. Alio modo sub nomine continentiae definitam pulchre Laurentius Iustinianus: Est, inquit, amor Deo, se integrum incorruptum, seruans: vel est, nihil appetere pœnitendum, in nullo moderationis legem excedere, & sub iugo rationis cupiditatem domare. Contractius Augustin. ait: Temperantia est affectio coercens & cohicens appetitum ab ijs rebus, quæ turpiter appetuntur.

Incitamenta ad Temperantiam sunt: I. Hęc virtus innocentiae & sanctitatis.

Iust. in li-  
gno vitæ  
de cōt. c. I.

Etatis vestigia fuit, quam voluit  
Deus inParadiso voluptatis sibi à pa-  
rentibus nostris exsolui. Tamdiu in-  
nocentiā tenuerūt, quādiu Tēperan-  
tiam persoluerūt: hoc verò modera-  
tionis tributo denegato, in miserum  
peccati statum prolapsi sunt. Vnde  
Ambrosius: *Temperantia est, quae re-  
secat cupiditates.* Hanc primis homi-  
nib. tenendā mandauit Deus, dicens:  
*De fructu autem ligni, quod est in Pa-  
radiso, non edetis, neq; tangetis illud, ne  
moriamini.* Et quia non est retenta,  
ideò transgressores virtutis egregiæ,  
Paradisi exules facti sunt, & immor-  
talitatis exortes.

*Amb. l. de.  
Iac. c. 2.  
Gen. 2.*

H. In hac vita exules & peregri-  
ni sumus, qui non habemus hic manen- *Heb 13*  
tem ciuitatē, sed futuram inquirimus: *14.*  
æquū ergo est, vt res huius vitæ nō ad  
luxum & voluptatem, sed ad usum &  
necessitatē accipiamus. Qua ratione  
Petrus Apostolus nos ad Temperan-  
tiam hortatur, sic scribens: *Charissi-  
mi, obsecro vos, tanquam aduenas &  
peregrinos, abstinere vos à carnalib. de-  
siderijs, quæ militant aduersus animā.*

L. 5.

III.

III. Temperantiae virtute similes  
 Angelis efficimur, à brutis & irrationabilibus discedimus, & ad euolan-  
 dum in cœlum alis contemplatio-  
 nis præparamur. Quis enim addu-  
 bitet illum Angelis similem fieri,  
 cuius caro quantum possibile est, à  
 sensibilibus elongatur? Et illum à  
 brutis maximè discedere, cuius cor-  
 pus bestiales motus, & animalium  
 rationis expertum voluptates abo-  
 minatur? Eumque tandem ad con-  
 templationem parari, qui terrenæ  
 cupiditatis visco non tenetur? Talis  
 erat Ioannes Baptista, cuius vita fuit  
 Tempérantiae mirum exemplum.  
 Ideò vocatus est Angelus: *Ecce mitto*  
*Angelum meum, & præparabit viam*  
*ante faciem meam. Quo nihil Deo si-*  
*milius, nihil brutis, bestijs que distan-*  
*tius, nihil ad Dei contemplationem*  
*aptius inuenitur.*

Actiones Temperantiae sunt: I. In  
 rebus, quæ ad corporis voluptates  
 pertinent, omnem honestatem &  
 morum decorem amplecti.

II. Omnem turpitudinem per-  
 hōne-

Mal. 3.1.

honestam verecundiam timere, & de  
his, quæ mentis munditiæ repugnant,  
erubescere.

III. In voluptatibus corporis af-  
sumendis , pro mensura non aliud  
quam necessitatem habere. Ad quod  
Augustinus ait : *Habet vir tempe- Aug li. de  
rans in rebus huius vitæ regulam, vtro- morib. ec  
que testamento firmatam , vt earum clesiæ. 21  
nihil diligat , nihil se per appeten-  
dum putet sed ad vitæ huius atque offi-  
ciorum necessitatem , quantum satis-  
est, usurpet.*

Postulatio Temperantiæ: Domine  
Iesu Christe , candor lucis æternæ,  
qui non solum ob corporis pulchri-  
tudinem , sed & ob animæ purita-  
tem, dictus es speciosus forma præ fi- Ps. 44. 3.  
lijs hominum : illustra mentem no-  
stram, & corpus nostrum , Tempe-  
rantiæ claritate , ut similest tui effe-  
cti , meritò fratres tui , quos in tan-  
tam dignitatem extulisti, & fi-  
lij Dei nominemur & si-  
mus. Amen.